

B. M. II. 302.  
h. 58. 28.

Q. D. B. V



DISPVTTATIO IN AVGVRALIS  
DE  
**PRAEFECTVRIS  
EARVMQVE ORIGINE  
IN GERMANIA**

PRAESENTE  
**CHRIST. HANACCIO D**  
CODICIS PROFESSORE PVBLICO CVRIAEC  
PROVINCIALIS SCABINATVS ET FACVLTATIS  
IVRID. ASSESSORE ORDINIS SVI  
SENIORE

PRO GRADV DOCTORIS

RITE CAPESSENDO

D. XX. MAII A. R. S. 1666 LXV

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS

PUBLICAE ERUDITORVM DISQVISITIONI

SUBMITIT

A V C T O R

**CHRISTIANVS GOTTLIB HOMMELIVS**

VITEMBERGENSIS

IURIS VTRIVSQVE CANDIDATVS ET ADVOCATVS

VITEMBERGAE

EXCVDERAT IO. CHRISTOPH. TZSCHIDRICHIVS



219 ГРАДОВАЯ

ДИНОВИЧА АНДРЕЕВА  
ИЛЬЯ Ильин

ДОЛЖНАТЬСЯ

ПО ГРАДОВАЯ

ЗАЩИТИТЬСЯ



\*                   \*

ciuitatibus constitutis, iudicia, cum sine his  
nec vigor legum et consuetudinum subsi-  
stere, nec vincula utilitatis, vitaeque com-  
munis conseruari possint, nec ylli explora-  
tum, quid suum, aut quid alienum sit, maxime necessaria  
esse, res clara est, et ex rationibus perspicua. Optime hinc  
CICERO <sup>a)</sup>, cum sepeus sis, inquit, legibus et iudiciorum me-  
tris, non sunt omnia timenda, neque ad omnes insidias praesidia  
quaerenda. Quid mirum igitur, si gens Germanica, aliis tam  
barbarica, fera et immanis, obtinendae vitae felicis ergo,  
summam rerum in magistratibus et iudiciis constituendis  
omni aevo collocavit <sup>b)</sup>. Praesens institutum, quo nobis  
de PRAEFECTVRIS, EARVMQVE ORIGINE IN

*GERMANIA* differendi animus est, huius veritatis argumenta suppeditabit quam maxime firmissima. Quamuis, anceps ac dubiae plenum opus aleae esse, infitias ire nequeam <sup>a)</sup>, in tantis medii aeui obscuritatibus, inter tot quasi scopulos et anfractus sine offensione progredi, aut cuitatis, quae omni ex parte obiiciuntur, difficultatibus, ad veritatem tam profunde latenter penetrare. Interim tentabo, quid valeant humeri. Sicuti quoque non sum tam pertinax atque iniurius, ut cui coniecturas meas ac opiniones vellem obtrudere, ipse eas, si veriora edoctus fuero, deferere non recusabo. Antequam vero originem, qualitates, iura et obligationes praefectorum, earumque officialium, quantum fieri potest, deduco, necesse est, ut accurate vocem Praefecturae et Praefecti determininem.

a) in Philipp. cap. XII.

b) CONRING in Disp. de iudiciis reipubl. Germ. HERTIVS in Notitia Populi Germ. et regni Francorum. THOMASIVS in Disp. de iurisd. et magistr. differentia secundum mores germ.

c) Occasionem in hac re vltierius cogitandi mihi dedit VIR ILLVSTRIS et AGNATVS OMNI PIETATE COLENDVS CAROL. FERD. HOM-MELIVS in den Akademischen Reden ad MASCOVII Ius Feud. cap. 3. §. 13. verbis: Es verlohnte sich wohl der Mühe, das Ansehen und die Beschaffenheit der vormaligen Untleute gründlich zu untersuchen, indem hier noch alles voller Dunkelheit.

## §. I

HOMONYMIA PRAEFECTVRAE  
ET PRAEFECTI

**V**ocabulum Praefecturae ein Amt in Germania triplici maxime sensu accipi, tam scriptores, quam usus loquendi communis comprobat. Prima vocis potestas est generalissima, et denotat quodlibet officium utile in republi- ca, et functiones ciuiles, militares, ecclesiasticas, et alias con- tinet, vt ita sub praefecto quemlibet ministeriale, et qui rei alicui gerendae praeest, intelligamus. Secunda notio est specialis, et rei nostrae conueniens, et designat regionem quandam, in qua quis iurisdictionis, oeconomiae, rerum fiscalium etc. curam ab eo, qui iure territoriali gaudet, con- cessam tenet, et sic praefectus est administrator iustitiae, oeco- nomiae <sup>a)</sup> etc. in certo districtu a superiore iure territoria- li gaudente legitime constitutus; siue minister, qui certo tra- etui bonis domini territorialis dominalibus seu camerali- bus assignato, praeest, ad iurisdictionem aequa ac redditus domini curandos <sup>b)</sup>. Quos significatus iuri germanico non proprios esse, sed extra Germaniam quoque obtinere, si instituti ratio ferret, tam ex historia reipublicae Iudaicae,

Romanae, quam rebus gestis Constantini M. commononstrari posset <sup>a)</sup>. Tertiam vocis vim specialissimam nominamus et notat opificium, sicut praefectus opificem, et ita maxime in ciuitatibus maritimis occurrere, testatur **M E V I V S** <sup>b)</sup>. Hinc in *Iure Lubec.* Lib. I. T. I. art. I. lex ita sonat: Es soll niemand in den Rath gefohren werden, welcher Amt oder Lehn von dem Rath hat. Vnde et hoc iure Lib. IIII. Tit. 13. art. 3. voces Amtsbrüder, Amtsrollen, Amtslade, Amtsbothe, das Amt berussen, et sic porro sunt explicandae.

a) BEYER Delin. Iur. Germ. Lib. I. cap. 7. §. 51. seq.

b) Ita praefectum definit **GONNIUS** in Commentat. de Feud. Gaſtald, §. 27. in **IENICHI** Thesaur. Feud. Tom. II.

c) Vid. **GESNERI** Thesaur. Lat. Lingv. sub voce: praefectus et praefectura.

d) Comment. ad Ius Lubec. Lib. I. Tit. I. art. I. Sic Batauis quoque haec natio est frequens, cum per Ambachtmann intelligunt opificem. Vid. **WACHTERI** Glossar. Germ. sub voce: Ambachtmann.

## §. II

### S Y N O N Y M I A   V O C V M

**P**raefecturas in Germania pro diuersitate locorum et temporum diuersa et alia atque alia accepisse nomina, easque Aemter, Amtmannschafften, Ambachte, Ambath, Vogteyen, Vogteylichkeiten, Pflegen, Meyereyen, Pagos, Comitatus, Graf-schaff-

schafften, apud Longobardos Gastaldias, earumque administratores, Ammannos, Ambactos, Ambasciatores, Amt-Ambachtsmänner, Amtmeister, Ambather, Beamte, Amtsverweser, Amtsverwalter, Amtschulzen, Schöffer, Meyer, Pfleger, Schuldeissen, Vogte, Vizthum, comites, grafiones, quaestores, balliuos, gastaldos, drossatos, satrapas <sup>a)</sup>, wittescalcos etc. appellatos fuisse, adductorumque nominum natales sparsim inuenies in SCHILTERI *Glossario Teuton.* WACHTERI *Glossario Germ.* DV FRESNE *Glossario mediae et inf.* lat. BESOLDI *Thes. Pract. adaucto et a DIETHERRO continuato,* WEHNERI *Obs. Pract. ESTORIS Comment.* de ministerialibus, multisque aliis rerum germanicarum scriptoribus. Nullus vero sibi persuadeat, omnia illa nomina in Germania vnam eandemque significationem assumisse, maxima pro temporum locorumque varietate inter hasce voculas, mox ratione officiorum, mox iurisdictionis, mox dignitatis facta est differentia. Ut hoc paucis illustrem, animum verte ad vocem Vogten, quae in inferiori Saxonia criminalem, in Franconia vero modo ciuilem iurisdictionem teste KRESSIO <sup>b)</sup> continet. Sic in Saxonia nostra Amtschöffer et Amtmann sicut ratione proedriae, ita quibusdam locis ratione magnitudinis districtus differunt <sup>c)</sup>.

Silen-



Silentio praetereo, inter Amtmann et Amtsverwefer, Schuld  
heisen apud nos discrimen intercedere luculentissimum.

a) Quam denominationem valde improbat, cum principem ditionis notet,  
BEYER Iur. Germ. Lib. I. cap. 7. § 53.

b) Ad C. C. C. art. II. §. 2.

c) HELLBACH Meditationes Iuris Proœdr. P. II. En. 96. n. 18.

### §. III

#### ETYMOLOGIA V O C V M Amt, Ambacht, Amtmann, Ambachtmann.

**N**ulla appellatio vero praefecturae et praefecti mihi magis a DD. intuitu deriuationis vexata videtur, ac nominatio Amt, Amtmann, Ambacht, Ambactus, Ambachtmann. Vocem Amt contractam putant ex Ambacht, Ambacto <sup>a)</sup>. Quarum vero vocum origines mox in latina lingua quaerunt, et deducunt a praepositione *am* circum et *agere*, ut ambactus sit circumactus s. perpetuus assecla <sup>b)</sup>; alii ab *ambulare* <sup>c)</sup>; mox in germanica, et hic valde differunt, quidam ex *amb*, *um*, *ob*, et *Acht* cura, vt sit idem ac *circumspectio*, *Obacht*, *Uffsicht* <sup>d)</sup>; alii ab *and* contra et *bab* *tergum*, vocibus Gothicis, quia ministrantes solent circumdare eos, quorum asseclae sunt <sup>e)</sup>. Alii ab *am* et antiquo verbo

biuda



binda i. e. praecipere, mandare <sup>1)</sup>; alii ab um circa et ach-  
ten sequi, sectari, persequi, vt ita ambachten sit circumsecta-  
ri aliquem officii et obsequii catifa et Ambacht minister,  
circa eum quem sectatur <sup>2)</sup>. Alii ab Amt munus et ach-  
ten. Sed huic voci achten tunc iterum tot fere assignant  
sensus, quot gaudent significatibus; quidam vertunt hono-  
re quem persequi, aestimare, ita Ambachtmann sit vir in di-  
gnitate constitutus et honore prosequendus <sup>3)</sup>; alii pro proscribere,  
in bannum declarare, quia ambactus altam habe-  
ret iurisdictionem; alii tandem pro curare, vt Ambacht sit  
cura et administratio muneris, et Ambachtmann ministeria-  
lis, officialis <sup>4)</sup>. Nec praetermittenda est STRYCKII <sup>5)</sup> deri-  
uatio vocis Amtmanns ab *Admodiatore*, cui praeditum ad fir-  
mam datum aut alienatum sub certa praestatione tot mo-  
diorum frugum, de quibus convenit <sup>6)</sup>. Nomen habeat  
ab *ad et mediatione* i. e. ab actu metiendi per modios, vel ad-  
mensione per modios. Meam si tibi de his originibus vo-  
cum declarem opinionem, nil rationi disconuenientius ha-  
beo, ac omnes voculas ad atomum, quae sectionem non ul-  
terius recipit, redigere, et vernaculaam linguam inopiae vo-  
cum primituarum arguere, potius vocabulum Amt simpli-  
cem et primaeuam vocem germanicam esse censeo, quae

XIV DE P R A E F E C T U R I S

in antiquissimis documentis iam legitur. Nec litera inser-  
ta B. custos et index potest esse, vt vox sit composita, vti  
vult W A C H T E R loc. cit <sup>m)</sup>, ac si vox simplex et primitiuam  
nec debuisse nec potuisse scribi cum litera B. Multo ve-  
ro remotiores a veritate mihi videntur, qui vocem *amba-*  
*cti*, Ambacht ex Latio deducere audent, ac si nostrates pro-  
prio idiomate fuissent destituti. Iam dudum ab eruditis  
vocabulorum indagatoribus exemplis satis superque demonstra-  
tum fuit, Italis non turpe visum fuisse, verbis germanicis  
terminationes latinas addere, eaque latina quasi ciuitate do-  
nare <sup>n)</sup>. Habet igitur *ambactus*, Ambacht natales ex ger-  
manico idiomate, sed unde? nil naturalius ac probabilius  
duco ac hoc deriuare ab Amt munus et achten curare.  
Ita enim omnia genera officiorum, quibus olim ambaeti  
fungebantur, continere possumus. Interim negandum non  
est, plerasque ceteras deductiones nil absconi continere, cum  
ad id tendunt, vt per Ambacht ministerium, et Ambachtmann  
ministeriale intelligant. S T R Y C K I I vero coniecturae  
a probabilitate remotae variis argumentis repudium dat  
B E Y E R <sup>o)</sup>. Tandem vocem Mann non modo hominem  
et in specie praestantissimam humani generis partem scili.

cet



cet masculum designare <sup>a)</sup>, sed et nomen dignitatis vel officii esse, copiose declarat WACHTER <sup>a)</sup>.

- a)* BEYER Iur. Germ. Lib. I. cap. 7. §. 46. WACHTERI Glossar. sub voce *Umbmann*. SCHILTERI Glossar. sub voce *Umbachtmann*.
- b)* SALMASIVS ad Vopisci Carin. cap. 16.
- c)* Ita ALBERTVS ACHARISIVS in Vocabul. Italico. Add. DV FRESNE Glossar. sub voce *Ambaschiator*.
- d)* SCHILTER ad Ius F. Alamann. cap. 122. IDEM in Glossar. sub voce *Umbacht*.
- e)* Ita IVNIVS interpres *Viphilae*. Conf. WACHTERI Glossar. voc. *agsten obsequi*.
- f)* Sic STIRNHELMIVS interpres *Viphilae*. Add. WACHTER c. 1.
- g)* Hanc est ipsa opinio WACHTERI l. c. et sub voce *ambacten*.
- h)* BESOLD. Thes. Praef. contin. a DIETHERRO sub voce *Umbacht*.
- i)* Hanc fouet sententiam nobiscum BERGER in Tract. de naturali pulchritudine Orat. pag. 391. Add. GESNERI Thes. Lat. L sub voce *ambactus*.
- k)* In Cautel. Contr. Sect. II. cap. 9. §. 32.
- l)* DV FRESNE Glossar. cit. voc. *admodiare*.
- m)* Sub voce *Umbt*.
- n)* ILL. HOMMELIVS in Oblect. Iur. Feod. Obs. II. et XI. vbi inter alia exempla originem vocis *Valvasoris* a germanica voce *Verweser* egregie ostendit. Add. SCHOTTEL in der deutschen Hauptsprache.
- o)* In Iure. Germ. Lib. I. cap. 7. §. 48. f. SCHAVMBVRG Einl. zum Sachsenrecht, Sect. III. Ex. I. §. 31. WIESAND Lexic. sub voce *Umbacht*.
- p)* Vid. SCHILT. Glossar. sub voce *Mann*.
- q)* Glossar. sub voce *Mann*.

De locis distinguib. memoriis §. IIII

DE AMBACTIS APVD CAESAREM ET  
QVID AMBACTIA

**A**ntiquissimam Germaniam ciues continuuisse, qui Ambacti appellati fuerunt, nullus, qui IVL. CAESAREM legit, negare poterit. De equitibus enim Gallicis scribit de Bello Gall. in Libr. VI. cap. 15. ille, quod omnes in bello versentur et *ut quisque esset genere copiosus amplissimus, ita plurimos circum se AMBACTOS clientesque haberet.* Quinam vero hi Ambacti fuerint, an differant ab Ambactis ENNIIS, qui pro seruis, conductitiis mercede hominibus habentur, et sordidas locant operas, nauentque, varie inter Grammaticos et Criticos disceptatur. Optime huius rei causam egisse, mihi videtur *Generos. BERGER* <sup>a)</sup>. Nil enim est certius, ac vocem Ambactorum, et similium priscis Germaniae temporibus quemlibet ministerialem, officialem, comitem potentioris in bello et pace, non seruilis, sed ingenuae conditionis, et Ambactiam s. Ambasciam, Ambaxiam quodlibet ministerium, nec vnicce rei iudicariae administrationem denotasse. Sic in *Lege Sal.* Tit. I. §. 3. ad impedimenta legitima comparendi in iudicio, refertur *Ambascia Dominica* i. e. omnis iussio domini. *Lex Burgund.*

Addit.



EARVMQVE ORIGINE IN GERMANIA XIII

Addit. L. Tit. 17. disponit: *Quicunque asuum alienum extra domini voluntatem praesumferit, aut per unum diem aut duos in AMBASCI A sua.* Ambasciam hic sumi pro itinere in legatione, obseruat D V FRESNE<sup>b)</sup>. In Iur. Argentorat. L. I. c. I. §. 8. ita<sup>c)</sup>: Der Bischoff setzt vier Ambacht: das ist das Burgraventum; das Schultheissentum; das Münzmeister- tum, und das Zollnertum. Loco salarii ministeriales interdum Feuda accipiebant, quae Ambachiae<sup>d)</sup> vocabantur. Hinc in Specul. Sax<sup>e)</sup> non raro vasalli officiales Ambacht- männen nuncupantur.

a) In Tract. de Nat. Pulchrit. orat. a pag. 390. ad pag. 405.

b) In Glossar. sub voce ambascia. Nullum hinc est dubium, quin gallicum Ambassadeur, simelesque voces gentium legatum designantes, originem ex lingua Germanica depromere debeant. Add. BESOLD. Thes. Pract. sub voce Ambassador. ESTOR de Ministerialibus cap. 7. §. 335. \*

c) SCHILTERI Glossar. sub voce Amtmann.

d) ILL. HOMMELIVS in den Vorl. ad I. F. Masc. cap. 3. §. 40. EIVSD. Oblect I. F. Obs. 9. LUDWIG de L. F. Imperii cap. 12. SCHILTER ad I. F. Alam. cap. 112.

e) Ius Feud. Saxon. cap. 62.

§. V

PRAEFECTVRAE ET PRAEFECTI IN  
ANTIQUISSIMA GERMANIA  
INVENIVNTVR

Quem ad modum Germania magna a temporibus C A E-  
SARIS et TACITI usque ad Francorum epocham

XIVI DE P R A E F E C T U R I S

in commune regnum nunquam coaluit, sed tot habuit res-publicas, quot populos <sup>a)</sup>, sic nil est certius, ac ut maiores iis temporibus singulas respuplicas, quae democraticae nominandae sunt, regiones possessas in praefecturas s. vt stylo Romanorum loquar, in pagos <sup>b)</sup>, hos in vicos diuiserint <sup>c)</sup>, iuris dicendi potestate partim penes ordines ciuitatis in comitiis congregatos <sup>d)</sup>, partim penes praefectos ab illis electos <sup>e)</sup> constituerint, illorum iurisdictionem per totam remp. in causis grauioribus, horum per pagos vicosque, quibus praeerant, in causis leuioribus <sup>f)</sup> porrexerint, tandem praefectis scabinos <sup>g)</sup> et minores iudices, qui illis sube-rant, adiunixerint <sup>h)</sup>.

<sup>a)</sup> CAESAR de Bell. Gall. Lib. VI. c. 23. *In pace nullus communis est magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos ius dicunt, controuerfiasque minuant.*

<sup>b)</sup> Habitationes veterum Germanorum TACIT. de M. G. in toto cap. 16. et in specie Fennorum cap. 46. belle describit.

<sup>c)</sup> Inter pagum et vicum hoc est discriminis, vt vicus sit domorum rusticana-rum congeries, pagus vero vicorum societas s. Regio multis vicis constans. HEINECCIVS El. I. Germ. Lib. III. §. 4 \* Add. CONRING. Disp. de Ciui-bus imper. §. 15. verb. pagorum vocabulo veniente id fere, quod nunc ein Umpf, vicorum vero, quod nunc ein Glecken aut Dorf appellamus. Haec eleganter illu-strant CAESAREM, qui, de B. G. Lib. I. cap. 12. dicit, totam Helvetiam in qua-tuor pagos diuifam. Porro cap. 37. vbi de pagis Suevorum mentio fit. Iterum Lib. IIII. c. 22. quo pagi Morinorum occurruunt, Iungantur CELLAR. ad h. 1. et GESNERI Thes. L. L. sub voce pagus.

<sup>d)</sup> TACITVS l.c. cap. 12. verba: licet apud concilium accusare quoque, et discrimen capitis insendere. Etc.

<sup>e)</sup> Qui

## EARVMQUE ORIGINE IN GERMANIA XV

- e) Qui praefecti a TACITO l.c. vocantur Principes: *Eliguntur in iisdem consiliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddunt.* Antiquioribus temporibus Grauiones, a graui senectute, audiunt. CONRING. Disp. de Vrb. Germ. §. 49. Eorum dignitas ita delineantur a TACITO l.c. §. 13: *in signis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam adolescentilis assignant.*
- f) TACITVS l.c. cap. II: *de minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes.* Ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud Principes pertractentur.
- g) TACITVS l.c. cap. 12. in fine: *Centeni singulis ex plebe comites consilium simul et auctoritas adsunt.* Add. CONRING. de Vrb. G. §. 49. docens, hos comites assessores fuisse, qui alias Schöppen scabini appellati fuissent. Eos non seruili, aut libertino genere natos, sed ingenuos fuisse, apparet ex TACIT. c. I. cap. 25. Add. BRUMMERS de Scabinis p. 273. in opusculis a BEYERO 1712. editis.
- h) Conf. CONRING. Disp. de vet. Germ. iudic. §. 15. Add. HEINECC. El. I. G. Lib. III. §. 6.\*

## §. VI

### CONDITIO PRAEFECTVRARVM CONSIDERATVR ANTE ET SVB CARO- LINGICO IMPERIO

Haec antiquissima reipublicae in Germania forma, ut omnibus eius populis placuit, ita et in hac Saxonia obseruata usque ad aetatem Caroli M. Antiquissimus scriptorum Saxoniorum WITTICHINDVS<sup>4)</sup> de ciuibus nostris testimonium perhibet, quod imminentे bello comitum aliquis, prout virtute fuerit maior, in sua gente Dux creatus, qui certis terminis exercitus congregandi potestate fuisse contentus. Bello finito, aequo iure ac lege, pro-

pria

pria contentus potestate vnuquisque vixisset. Postquam vero pleraque gentes Germaniae Carolo M. eiusque successoribus vietas cogebantur dare manus, exceptis tamen omnino Saxonibus <sup>b)</sup>, dici non potest, quantam res iudicaria passa fuerit mutationem. Gens enim Carolingica fiebat fons omnis iurisdictionis in viatis prouinciis, a quo fluebat et refluiebat, ea solum magistratus constituebat, et per comites in pagis, vicis, castellis, vrbibus postea exstructis <sup>c)</sup>, rebus ecclesiasticis et secularibus ius reddebat, qui nomine, potestate et dignitate erant diuersissimi, his eodem modo a missis regiis scabinos, aliosque iudices inferiores associatos fuisse, copiose exhibent Capitularia regum Francorum. Nec difficile erit ex iisdem sanctionibus demonstrare, regiones et villas, in quibus iurisdiction et iura fisci nomine Imperatorum administrabantur, praefecturas, et earum administratores Praefectos <sup>d)</sup>, Maiores <sup>e)</sup> regiarum villarum appellatos fuisse.

a) CONRING. Disp. de Vrb. Germ. §. 51.

b) Quod ill. P R A E F E C T U R I S probauit in Tr. de primord. sup. territ. Sax. §. 25. sq. p. 45. sqq.

c) Vrbes in Sax. vero deinceps sub H E N R I C O rege conditas fuisse, ostendit CONRING. l. c. §. 82.

d) DV FRESNE Glossar. sub voce praefect.

e) Capitularia Caroli M. hic spectantia collecta videbis in Glossariis DV FRESNE, SCHILTERI et WACHTERI sub voce maiores villarum. Hisce temporibus Maioriae s. Meyeray, praefecturas, et Maiores Meyer, Ammannos denotasse, fuse edocet L Y D W I G de iure clientel. Germ. Sect. III. c. 8. §. 6. not.

## §. VII

QVO TEMPORE ET QVOMODO PRAEFECTVRAE  
ET PRAEFECTI AD STATVVM IMPERII  
TERRITORIA TRANSIERVNT

**E**xtinguis Carolingis, cum pleraeque prouinciae, et multae ciuitates Germaniae pleno iure totius imperii esse desinerent <sup>1)</sup>, et ducum comitumque potestas, ac dignitas, quae haec tenus a regum nutu dependebat, temporaria et administratoria fuerat, nunc ad heredes transiret, prouincias, quibus, ut gubernatores, praefecti, in patrimonium saltem feudi iure illi possiderent, ipsis ducibus atque comitibus ius superioritatis territorialis ita concederetur, ut autoritate propria leges ferre, magistratus constituere, conuentus indicere, foedera facere possint, nil est coniecturis Juris publici, priuatique Germanici commentatorum <sup>2)</sup> conuenientius, ac ut nouos imperantes, illos pagos, gouas, comitatusque, in quibus antea ius dixerant, et Imperatoris bona curarant, distractisse, quosdam horunt in praefecturas mutasse, et vicarios pristinos et iudices inferiores iurisdictionem, ceteraque munera iis detulisse, et nouis administratoribus ad exemplum Imperatorum nomen praefecti tribuisse, ceteras vero particulas regionis vrbibus, nobilibus vel in feudum dedisse, vel plenario iure variis titulis transtulisse, credamus. Egregius est locus in *Chronico Weing.* apud **L E I B N I T I V M**

C

Script.

## XVIII DE P R A E F E C T U R I S

Script. rer. Brunsv. T. I. de G V E L P H I S , amplissimorum praediorum dominis : In diversis prouinciis praedia et dignitates sibi accumulare coeperunt . Vnde et in tantum ditati , diuitiis et honoribus regibus praestantiores , ipsi quoque romano Imperatori homagium facere recusabant , et viribus propriis confisi , omnes terminos suos per se , magna industria et forititudine defendebant . Domum quoque suam , regio more ordinabant , ut ita quaeque officia in eis , id est , ministeria dapiferi , pincernae , mareschalli , per comites vel iis aequipollentes regerentur . Praefecerunt etiam familiae suae tam maiori , quam minori , vnum de maioribus curiae , quem nominabant aduocatum , qui vice sua pro omnibus suis staret coram regibus , seu Ducibus , vel aliis iudicibus , et in qua cunque causa vel querimonia pro eis responderet .

- a) Quo tempore hocce factum sit , manet incertum , nec ab uno duce et comite ad alterum argumentari licet . CONRING . de Ducibus Comit . Imper . Germ . § . 24 . add . VERFOORTENII Comment . de Ducatibus in veteri Germaniae regno hereditaris , eorumque origine § . 6 . ed . Halae 1726 . De Saxo - num regnandi forma sub ultimis Carolingis optime differit CONRING . l . c . § . 20 . add . LEYSER de Landfassis Amtl . et Schriftl . § . 12 . iung . Illustris Praefidis Tract . de primordiis superioritatis territorialis Sax . an . 1740 . editus .  
b) AHASV . FRITSCHIVS in Exerc . Iur . Publ . P . II . Ex . 13 . § . 47 . CONRING . de iudiciis reipubl . Germ . § . 58 . IDEM de ciuibus I . G . § . 15 . Strubens Nebenstunden P . I . Sect . 3 . § . 5 . ESTOR de Ministerialibus cap . 7 . § . 336 DV FRESNE Glossar . sub voce Grafa . HEINECGIVS I . Germ . Lib . 3 . § . 45 . BEYER Del . Iur . Germ . Lib . I . cap . 7 . § . 44 .

## § . VIII

### P R A E F E C T I A N T I Q V I S D I P L O M A T I B V S O R I G I N A L E S C O N S T I T U T I V O N I B V S V O C A N T V R

Amtmänner

Vocem ambaeti quondam quemlibet ministeriale significasse , supra monuimus , operae nunc practium esse  
duco ,

duco, comprobare, denominationem eius Amtmannū prae-  
sertim ad administratores iurisdictionis in certa regione ef-  
se applicatam. Huc spectat priuilegium OTTONIS III. de an-  
no 999. ciuitati Magdeburgensi concessum <sup>a)</sup>: Wir gebieten  
und sezen ernstlich bey unserer kaiserl. Gewalt, allen unsern Für-  
sten und des Reichs Unterthanen, Richtern und Knechten und al-  
len Amtleuten.

Sic ex GOLDASTO THOMASIVS <sup>b)</sup> assert constitutionem Imperatoris FRIDERICI III. in qua haec leguntur:  
want wat men zo ge hart zo sprechen, dat sellen Sy verantwer-  
den mit eyne Amtmann, der ein Pfleger over Syis, van des  
Kaisers wegen, und in der Stadt, da die inne gesessen. In vete-  
ri iure Reip. Augustanae officium Praefecti eius Amtmannū  
fuit abrogatum: Mann soll wizzen, daß disju Stadt ze allen  
ziten einen gezwon Raut haben soll von XII. erbern Mannen etc.  
und soll auch niemans Amptmann sin.

*Ius Provinciale Bauaricum* de an. 1346. Es soll kein  
Amptmann noch Pawmann von seinem Herren nicht varn da  
hinter er gesessen ist, es sulle der Amptmann seinem Herren bereita-  
ten (rationes reddere) umb alles das das er hinz Im zu vor-  
dern hat <sup>c)</sup>.

a) Conf. *Ius Weichbildicūm*.

b) In Disp. de iurisd. et magistrat. diff. sec. mores germ. thes. LXIX,

c) SCHILTERI Gloss. sub voce Amptmann, add. *Ius Alaman.* F. Tit. 112.

## §. VIII

DE P R A E F E C T V R I S H O D I E R N I S E T I N  
P R I M I S D E L O C A T I O N E P R A E-  
F E C T V R A R V M

**A**b eo tempore, quo principes et ordines Imperii iure territoriali gaudent, praefecturas in *immediatas* et *mediatas* diuidere, nil absoni video. Vtrasque vero praefecturas ab imperatoribus et statibus imperii saepe sub lege fidelitatis vasallaticae aliis concessas, saepe sub pacto anti-chretico oppignoratas esse, exemplis comprobantur *SCHIL-TER*<sup>a)</sup>. Nil vero in Saxonia et alibi frequentius apprehendi, ac ut fructus iurisdictionis, annuae praestationes aliorumque iurium commoditates imperantibus competentes aliis permittantur, vel ex contractu mandati, ut rationes reddantur, vel locati conducti, ut redditus pro certa pensione redimantur. Quem ultimum contractum DD. plerumque *admodiationem* vocant. Scio quidem, quam plurimos esse, qui nouam speciem contractus in hac consti-tuunt, eumque ad innominatum, ex quo actio praescriptis verbis fueret, referunt <sup>b)</sup>. Sed accurate iam *STRYCK*<sup>c)</sup> docuit, non opus esse, entia sine necessitate, maxime in contractibus, multiplicare, praesertim cum hoc negotium, nec naturae, multo minus substantiae locationis conductionis officiat, quid quod legibus conueniat, ut praedia cum iurisdictione, iure venandi, patronatus, aliisque regalibus locentur.



tur. Multo minus, certe in Saxonia nostra, ferenda est KELLERI<sup>4)</sup> aliorumque <sup>et</sup> opinio, dum praefecturarum admodiationes et subhastationes pessimum reip. genus vocant, et pro turpissimo periculosisssimoque aerarii augendi modo censem, vnde infinitae reuendendi carius iustitiam subditis occasions suppeditentur, ut iustitiarii audeant impudenter in subditos grassari, palam clamque supra sportulas debitas petere, quod iam Principi pro mercatura officiorum se praebuisse dicant, vnde ansa, rebelliones infinitaque alia reip. damnoſa excitandi, praebeatur. Nam qui paulo accuratius ponderat, sub quibusnam limitationibus et cautionibus hocce munus, reditusque deferantur, quod praeter iurisiurandi praestationem, adhuc cautio idonea exigatur, locationes temporariae sint, frequentes visitationes a capitaneis praefectorum instituantur, aliaque iuris beneficia, ut Appellationis, pressis succurrant, ille confiteri cogetur, minimum renascens incommodum ne metui quidem posse <sup>ad</sup>. Tandem quaestionem, an praefectura locata, omnia commoda quoque ea, quae ex agris desertis honeste percipi possunt, item Ius gabellae, Gerada, Hergewetta ceteraeque in bona defunctorum successiones fiscales, porro omnia multarum genera, quae ex praefectura alias ad principem pertinent, tam eae, quae ex causis iniuriarum, et vestigium obueniunt, quam quae loco poenae corporalis et alias ex iure aggratiandi in pecuniam a principe conuersae sunt, praesertim tunc, si clausula: mit gesuchten und ungesuchten Nutzungen, tabulis contractus non est inserta, conductoris



sint, ita decidendam esse puto, ut eam quidem cum BERGERO <sup>a)</sup> HORNIO <sup>b)</sup> affirmemus, sed in tantum, in quantum non aliud in syngrapha locationis conductionis dispositum legitur.

a) Ad ius Feud. Alaman. cap. 112.

b) Vid. TABORIS Disp. de Admodicatione.

c) In Cautel. Contr. Seet. II. cap. 9. §. 32.

d) In Tract. de officio Iurid. Pol. Lib. II. c. 20.

e) Ut BODINVS de Republ. Libr. VI. cap. I. Sed vide BEZOLDVM Thes. Pract. sub voce amobiren. Et eius continuatorem DIETHERVM sub hac voce. Iung. WEHNER Obs. Pract. sub voce amobiren.

f) Olia in Saxonia praefecturas sub rationum redditibus administratas, et recentioribus demum temporibus ob adhaerentes oeconomias, exceptis paucis, locatas suisse, testatur WABST in Histor. Nachrichten von dem Thurfürstenthum Sachsen, Sect. II. cap. 12. p. 253.

g) In Oec. Iur. Lib. III. Tit. V. Th. 22. n. 3.

h) Cap. 11. Resp. 71.

### §. X

## QVID AD CONSTITUTIONEM NOVI PRAEFFECTI IN SAXONIA PERTINEAT

Cum reip. quam maxime interfit, ut iudiciis viri sinceri et in iure periti praesint, praeter cautionem idoneam <sup>a)</sup> ad praefecti noui constitutionem in primis exploratio morum et iurisperitiae pertinet, de qua O. P. R. Tit. II. §. 2. ita disponit: daß unsere Landesregierung derer neuen Beamten bisherige Aufführung und Lebenswandel, vor ihrer würtlichen Annahmung jederzeit erkundigen, ihre Capacität durch Aufsetzung einer schriftlichen Relation aus wichtigen Ciuil-Actis, in gleichen Formirung gewisser Articul in Inquisition-Sachen, und Elaborirung einiger Casuum, so bey Concurs-Processen vorzufallen pflegen, exploriren, auch daß sie solche Specimina, ohne fremde Beihilfe selbst gefertiget, von ihnen endlich verstärken lassen solle, ge-  
stalt

ſtalt dieselben, von unferm Cammer-Collegio, an welche wir das nothige dieſfalls bereits verfüget, eher nicht, als bis ſie, daß ſolches alſo geſchehen und ſie zu Verwaltung der Juſtiſtiz tüchtig befunden worden, behörig dociret, an und in Pflicht zu nehmen <sup>b)</sup>. Qui igitur haecce ſpecimina iuridica edere nequit nec vult, quod interdum in admodiotoribus praefecturarum contingit, is opus habet vicario <sup>c)</sup>, qui plerumque appellatur ein Amtsverweſer, ita legitimato, qui tamen in multis a praefecto dependet <sup>d)</sup>. Iurisurandi formula <sup>e)</sup> plerumque ex codicillis, quibus officium hoc defertur aus denen Amtmannsbeſtallungen <sup>f)</sup> defumitur, et cum ſub hoc munere nunc plus, nunc minus pro voluntate principis comprehenditur, vniuersalem exhibere nequeo, interim hoc certum eſt, vt ſimil ob pecunias depositas aliasque, ad Constitutionem D. Auguſti de ao. 1705. von anvertrauten Gute dirigatur <sup>g)</sup>. Nec mi- nus ſicut praefecti noua diaria reddituum fine consensu Elec- toris componere nequeunt, ſic inuestitura noui praefecti Amtſtatiis approbati libri censuales ad reuisionem proponi debent <sup>h)</sup>. Tandem, vt praefecti eorumque actuarii a mu- nere iuſtitiarii apud Schriftſtatiis et Amtſtatiis abſtineant, et arceantur <sup>i)</sup>, aequiſſimas habet rationes.

a) LEYSER Iur. Georg. Lib. II. cap. 2.

b) Praefectus hinc valde diſſert iuſtitiariorum nobilis, qui hiſce ſpeciminibus ſu- perfedere potest. Publicata igitur O. P. R. opinio BEYERI I. Germ. Lib. I. cap. 7. §. 52. vbi ambos fere pares habet, admittenda non erit.

c) GRIEBNERI Discurs. ad O. P. R. Tit. II. §. 2.

d) Mandat El. d. d. 5. Nou. 1700. Cod. Aug. T. I. p. 1171.

e) Formulam talem iam in I. Rom. Nouell. 8. inuenis, quae in multis nostris conuenit.

f) Talem exhibet Seckendorf im deutſchen Fürſtenstaat, pag. 828. et Rohr im Vorrath allerhand Contracten, ic. p.m. 160.

g) Conf. Mandat El. d. d. 9. Dec. 1723. Cod. Aug. Tom. II. p. 1367.

h) Reſoluz. Grau. de an. 1612. §. 13. et de an. 1661. Kammerſachen, §. 26.

i) Mandat El. d. d. 10. Ian. 1696. Cod. Aug. Tom. I. p. 1167.

AKT 4962 - X 2380104

XXIII DE PRAEFECTVRIS EARVMQVE ORIGINE

§. XI  
DE PROOEDRIA PRAEFECTORVM


Cum dignitates hodie plerumque secundum praecedentiam aestimentur, non immerito quaerimus, quae Proœdria competit praefectis. Ante omnia ad voluntatem principis expressam, et ad ordinationes proedriarum, hisce deficientibus, ad consuetudines locorum recurrendas esse, per se patet. Sed quid, si vtraeque normam non præbent, et partes ad responsum iuridicum compromittunt? Tunc ita distinguendum esse puto, ut primo videamus, an praefectus nomen consiliarii principis saltem titularis gerat, tunc eum sine dubio Doctores et Superintendentes etiam promotos oppidorum praecedere, iam declarat HORN<sup>a)</sup>. Quodsi charactere eines Amtmanns gaudet, varie disceptatur, an praecedant Doctores et Superintendentes, multis argumentis praerogatiuam his praefectis tribuit HELLBACH<sup>b)</sup>. Qui vero modo Amtsschöffer nuncupatur, cedere debet tam Doctoribus, quam Superintendenteribus quoque non promotis<sup>c)</sup>. Quin Amtsschöffer consulibus illiteratis, aliisque non promotis oppidorum, quamvis praefecturis non subiecti sint, praferendi sint, cum illi a principe immediate constuantur, hi vero ex ordine decurionum elegantur, et magis censeatur dignus, qui a sublimiore honorem adeptus, nullum est dubium<sup>d)</sup>. Sequuntur nunc iura et obligationes praefectorum, sed cum scripti huius et temporis breuitas non patitur ulteriorem disquisitionem, filum abrumpo, et alio opportuniore tempore copiosius hanc materiam continuare, sancte promitto.

a) In Iure Prooedr. Decad. I. qu. 2.

b) In Medit. Iur. Prooedr. mod. App. I. Sect. I. adi. VI. et P. II. En. 93. seq. App. II. Sect. III. adi. III.

c) HELLBACH l.c. App. I. Sect. III. adi. 4. HORN de I. Prooedr. Decad. II. qu. 4.

d) HELLBACH P. I. En. III.



no.



B. M. II 302.

h. 58, 28.

Q. D. B. V

II K  
4962

DISPV TATIO IN AVGVR ALIS

D E

# PRAEFECTVRIS EARVMQVE ORIGINE IN GERMANIA

P R A E S I D E

## CHRIST. HANACCIO D

CODICIS PROFESSORE PVBLICO CVRIA E  
PROVINCIALIS SCABINATVS ET FACVLTATIS  
IVRID. ASSESSORE ORDINIS SVI  
SENIORE

## PRO GRADV DOCTORIS

RITE CAPESSENDO

D. XX. MAII A. R. S. clo. 10 cc LXV

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETISHALLE

PUBLICAE ERVDITORVM. DISQVISITIONI

SUBMITTIT

A V C T O R

## CHRISTIANVS GOTTLIB HOMMELIVS

VITEMBERGENSIS

IVRIS VTRIVSQVE CANDIDATVS ET ADVOCATVS

VITEMBERGAE

EXCVDEBAT IO. CHRISTOPH. TZSCHIDRICHIUS